

In nomine domini dei salvatoris nostri ihesu christi imperante domino nostro constantino porfirogenito magno imperatore anno tricesimo, sed et romano socero (2) eius magno imperatore anno quintodecimo die vicesima quarta mensis aprilis indictione undecima syrrenti: Certum est me gregorium filium quidem domini iohannis militis una cum consensu et voluntate domine anne honeste femine genitrici mee. a presenti die et tempore pro medelle (3) et salvationis anime mee que hic etiam et in futuro seculi mihi omnipotens deus retribuatur: Offero et contrado tibi domino iohanni venerabili abba presbytero monasterii insule ruviliane (4). et per te in suprascripto sancto ac venerabili vestro monasterio posterisque vestris sanctaque eius congregatio presentibus et futuris in sempiternum pro redemptionis anime mee: Idest integram omnem meam hereditatem quantum mihi obvenit a quidem suprascripto domino iohanni genitori meo. Hoc est domus seu hortua quamque casalibus seu terris sationabilibus movilium et immobilium seseque moventibus mihi pertinentes. In quo hec sunt nominatiba suprascriptas domos meas hereditas de intus vel foris domos seu casales sive de massa puplica seu et de planitias (5) una cum campis silvis montis collis silivis pascuis cesinis castanetis quercetis cultum vel incultum cum arboribus fructiferis vel infructiferis cum introitas et viis suis et omnibus ad suprascriptas integras hereditate suprascripti genitori mei pertinentibus: seu offero tibi et sex uncias de falcidium quidem suprascripte domine anne honeste femine genitrici mee quod ipsa mihi largivit unde alias sex uncias offertas habet suprascripta genitrix mea

Nel nome del Signore Dio Salvatore nostro Gesù Cristo, nell'anno trentesimo di impero del signore nostro Costantino porfirogenito grande imperatore ma anche nell'anno quindicesimo (→ decimo settimo) di Romano, suo suocero, grande imperatore, nel giorno ventesimo quarto del mese di aprile, undicesima indizione, **syrrenti**. Certo è che io Gregorio, figlio invero di domino Giovanni cavaliere, con il consenso e la volontà di domina Anna, onesta donna, mia genitrice, dal giorno e dal tempo presente per la redenzione e la salvezza dell'anima mia - che oggi e nel futuro dei secoli Dio onnipotente mi ricompensi - offro e consegno a te Giovanni, venerabile abate presbitero del monastero **insule ruviliane** e tramite te al soprascritto santo e venerabile vostro monastero ed ai posteri vostri ed alla sua santa congregazione in presente ed in futuro in eterno per la redenzione dell'anima mia, vale a dire l'integra e completa mia eredità quanto a me pervenne dal soprascritto domino Giovanni mio genitore, e cioè le case, gli orti, i casali, le terre seminate, i mobili e gli immobili e gli animali a me pertinenti, di cui queste sono in dettaglio le predette soprascritte case mie ereditate, di dentro o fuori, case o casali, sia **de massa publica** sia anche **de planitias**, insieme con campi, boschi, monti, colli, selve, pascoli, boschi tagliati, castagneti, querceti, il coltivato e l'incoltivato, con alberi fruttiferi o infruttiferi, con i loro ingressi e vie e con tutte le cose pertinenti alla intera anzidetta eredità del soprascritto mio genitore. E anche offro a te sei once del falcidio della soprascritta domina Anna onesta donna genitrice mia che la stessa mi donò e di cui le altre sei once la soprascritta mia genitrice ha offerta al monastero **insule salvatoris** e le stesse predette sei once del

in monasterio insule salvatoris. et ipsa prenominate sex uncias de suprascripto falcidio quod tibi offeruit sit in potestate suprascripte domine anne honeste femine genitrici mee diebus vite sue ad fruendum et comedendum regendum et gubernandum et post transitu suprascripte genitrici mee revertur in suprascripto monasterio: seu offero tibi et sex uncias de omnem hereditatem suprascripte domine anne honeste femine genitrici mee de intus vel foris domos seu casalibus tam de territorio syrrentino quamque et de territorio langavardorum (6) una cum introitas et viis suis et omnibus eis pertinentibus. et cum sex uncias de omnem movilem suprascripte genitrici mee: hec omnia sicut superius legitur sit tibi offertum atque contraditum ut in vestra posterisque vestris suprascripto sancto vestro monasterio eiusque congregationis monachorum sint potestatem qualiter de eo facere volueritis. in ea bidelicet rationem ut si domino placuerit et ego concussero ad sacrum ordinem monachorum. tunc et vos me suscipere debeatis et me monachum facere et habere sicut unum de monachi vestris cinobiali ad omni vestimento et calciamento et ego in omni obedientiam esse debeo ut regula sancti benedicti abbati docent. quavis chartula offeritionis aut testamentus vel dispositionis chartula inbenda dederis quasi a me factam sit modis omnibus inanis et vacua nullam in se habeat roverem firmitatis: solummodo presens hanc chartula mea firmissima offeritionem in omnibus ut continet sint firma et stavilis in perpetuum: et si quispiam personam a iure et proprietatis suprascripti monasterii aliquod exinde subtrahere voluerit per quibuscumque modis tunc ille qui ausus fuerit illud penetrare sive potens vel inpotens tunc sub anathematis binculis maneat a

soprascritto falcidio che ho a te offerto sia in potere della predetta domina Anna onesta donna genitrice mia per i giorni della sua vita di goderne i frutti e di consumarli, di reggerle e di governarle e dopo la dipartita della soprascritta genitrice mia ritorni al soprascritto monastero. E offro a te anche sei once di tutta l'eredità della soprascritta domina Anna onesta donna genitrice mia, di dentro o fuori, case o casali, tanto del territorio sorrentino quanto anche del territorio dei Longobardi, con gli ingressi e le loro strade e tutte le cose ad essi pertinenti e con le sei once di tutti i beni mobili della soprascritta mia genitrice. Tutte queste cose come sopra si legge siano a te offerte e consegnate affinché vostra e dei posteri vostri e del soprascritto vostro santo monastero e della sua congregazione di monaci sia la facoltà di farne quel che vorrete con la condizione che se al Signore piacerà e io verrò al sacro ordine dei monaci allora voi mi dovete accettare e fare monaco e avere come uno dei vostri monaci del cenobio ogni indumento e calzatura e io dovrò essere in tutto obbediente come insegna la regola di san Benedetto abate. Qualsiasi atto di offerta o testamento o disposto rinvenuto tu abbia dato come da me fatto sia in ogni modo senza effetto e vuoto e non abbia in sé alcuna forza e solo questo presente mio fermissimo atto di offerta in tutto ciò che contiene sia fermo e stabile in perpetuo. E se qualsiasi persona volesse sottrarre qualcosa dal diritto e dalla proprietà del soprascritto monastero in qualsiasi modo allora chi osasse perpetrare ciò, potente o non potente, allora rimanga sotto il vincolo della maledizione di trecentodieci e otto Padri e abbia la parte con Giuda traditore del Signore nostro Gesù Cristo e inoltre paghi come ammenda al soprascritto monastero e alla sua congregazione, lo stesso che cercasse di contrastare questo atto di offerta o i suoi eredi, due libbre auree di Bisanzio e questa presente mia

×

tricentos decem et octo patrum. et partem possideant cum iuda traditorem domini nostri ihesu christi. Et insuper componat in suprascripto monasterio eiusque congregatio ipse vel suis heredes qui contra hanc chartulam offeritionis quesierint venire auri libras duas bytiantreas et hec presens meam offeritio in omnibus ut continet et super legitur sit firma imperpetuis temporibus: Quam offeritionem a me facta pretiosum presbyterum et notarium scribere rogavi per indictione suprascriptam undecimam: Hoc signum ✠ manus suprascripti gregorii cum consensu suprascripte anne honeste femine genitrici sue quod ego qui suprascriptos ab eis rogatus pro eis subscripsi per indictionem suprascriptam undeciman suprascriptas sex uncias de suprascripta hereditate suprascripte domine anne honeste femine genitrici mee sicut superius legitur sit in potestate suprascripte genitrici mee omnibus vite sue diebus ad fruendum et commedendum regendum et gubernandum et post eius transitum revertatur in suprascripto monasterio.

✠ Ego gregorius filius domini iohannis rogatus a suprascriptis genitrici et filio testis subscripsi ✠

✠ Ego petrus filius domini stephani rogatus a suprascriptis genitrici et filio testis subscripsi ✠

✠ Ego iohannes filius domini leonis rogatus a suprascriptis genitrici et filio testis subscripsi ✠

✠ Ego pretiosius presbyter et notarius sancte ecclesie syrrentine complevi per indictione suprascripta undecima ✠

offerta in tutto ciò che contiene come sopra si legge sia ferma per sempre. La quale offerta da me fatta richiesi di scrivere a Prezioso, presbitero e notaio, per la soprascritta undicesima indizione. Questo è il segno ✠ della mano del soprascritto Gregorio con il consenso della soprascritta Anna, onesta donna sua genitrice, che io anzidetto richiesto da loro per loro sottoscrissi per la predetta undicesima indizione. Le soprascritte sei once della predetta eredità della anzidetta domina Anna, onesta donna genitrice mia, come sopra si legge, siano in facoltà della predetta genitrice mia per tutti i giorni della sua vita di fruirne, consumarne i frutti, reggere e amministrare e dopo la sua morte ritornino al predetto monastero.

✠ Io Gregorio, figlio di domino Giovanni, pregato dai soprascritti genitrice e figlio, come teste sottoscrissi. ✠

✠ Io Pietro, figlio di domino Stefano, pregato dai soprascritti genitrice e figlio, come teste sottoscrissi. ✠

✠ Io Giovanni, figlio di domino Leone, pregato dai soprascritti genitrice e figlio, come teste sottoscrissi. ✠

✠ Io Prezioso, presbitero e notaio della santa chiesa **syrrentine**, completai per la soprascritta undicesima indizione. ✠

Note:

(1) Characteris surrentini, quo documentum hoc conscriptum est, exhibetur specimen in Tab. II. n. 3

(2) Romanus Lecapenus, qui Drungarii, scilicet Praefecti turmae militari munere fungebatur, Constantini Porphyrogeniti socer evasit, cum ipsius filia Helena huic imperatori nupsisset. Affinitas haec Romano eiusque filii graeci Imperii societatem deinceps peperit, qua usque adeo fuerunt abusi, ut quavis auctoritate Constantinum exsuerint, suoque prorsus arbitrio constantinopolitana in aula

imperitarint. Tandem vero Romanum poenituit ingrati animi, quem in generum de se benemerentissimum praesetulerat, et Constantino eiusque filio imperium vindicavit. Verum filii sui tanto hinc odio ac crudelitate in parentem exarserunt, ut relegationem luctuosissimam ei pararint. Has quidem et complures alias miserrimas vicissitudines, quae e memorata imperii societate manarunt, legere est apud omnes fere byzantinae historiae scriptores.

Praesens vero instrumentum, quo primum Romanus *socer* dictus nobis occurrit, huic imperii annos tribuit diversos ab iis, quos reliqua nostra instrumenta supputant, ut observatum est pag. 33 adnot. (1). Annus enim XV, quo Notarius membranam hanc praenotavit, esse debuisse XVII. e supputatione, quam ineundam esse ibidem notavimus. Nobis itaque videtur surrentinus Notarius alteram epocham, quae nostros adhuc scriptores latuit, Romano tribuisse, nimirum a die 25 decembris anni 923, cum scilicet, prout inquit A. de Meo (*Appar. cronol. pag. 56*) eius filii Stephanus et Constantinus ad imperii societatem accesserunt. Si non secus res contigisse dicatur, adseretur ipsius de Meo sententia adversus quosdam scriptores, ac praesertim auctorem gallicum operis inscripti *Faste universels.*, qui (*T. IV. pl. 224*) societatem illam ad annum 928 amandavit.

Heic porro pro re nata animadvertendum quoque arbitramur, quod etsi idem de Meo (*oper. cit. c. II. part. V. §. 5*) Christophorum anno 931 vita defunctum edixerit nullo quidem allato documento, nostra tamen instrumenta ipsum graeci imperii socium exhibent ad undecimum usque diem novembris anni 932, uti patet e membrana heic edita sub numero XVII., in qua ipsius Christophori postrema mentio occurrit. Hinc non immerito arguimus aut laudatum scriptorem *σφαλματος* esse postulandum, aut nostros Curiales de Christophori obitu factos esse certiores serius, quam ipse vita decesserat, quod alterum vero propius nobis videtur.

(3) Plerasque formulas, quibus in donationum instrumentis pro ecclesia, vel monasterio quopiam conditis earundem donationum causa declarabatur, attulit quidem atque illustravit Marinus (*Pap. Diplom. pag. 296*), nimirum *pro remedio animae, vel peccatorum, pro redemptione animae, pro oblatione et remedio animae, pro oblatione et illuminatione animae, pro oblatione et illuminatione sive remuneratione animae, pro oblatione et luminaria mea*. His accensenda videtur formula, quam praesens exhibet documentum, nempe *pro medela, et salvatione animae*, ubi *medelam* pro *remedio* Curialis usurpavit. Verbum hoc quidem ad tributorum remissionem significandam adhibitum olim fuit, ut observavit Maffei (*Ist. Diplom. pag. 147*), ac Heumannus (*De Re Diplom. t. II. p. XVI.*). Non absimili porro ratione apud christianos scriptores veniam illam denotavit, qua a peccatorum onere animae eximuntur, ac iucundissimam quamdam remissionem ac solatium sibi comparant; qua profecto notione id nominis usurpavit saeculi V. scriptor Salvianus in libri II. adversus avaritiam exordio, ubi ait: *Diximus de remediis peccatorum, immo potius de spebus remediorum atque solatiis*.

Formulam vero *pro remedio animae* vetustissimam habendam esse, prae reliquis testatur Muratorius in diss. LXVIII. *de redemptione peccatorum*, ubi praeterea docemur, quomodo per inferiora tempora canonum poenitentialium vices exceperit mos donandi praedia, aliasque res monasteriis et ecclesiis, quae proinde quamplurimis latifundiis, caeterisque opibus locupletatae fuerunt.

(4) Scopulus, qui nostro prominet mari inter Nunciatae Turrim, atque Castrum maris de Stabia, et vulgo *Revigliano* vocitatur, olim ea fuit insula, cuius praesens meminit instrumentum. Hanc surrentinum ad Ducatum pertinuisse adfirmari potest, tum quia propinqua erat Stabiis, quae ad eundem Ducatum spectabant, tum quia neapolitanus Ducatus, ortum versus pago Turris Octavae definiebatur, cum nondum extaret Turris Nunciatae, quam post saeculum XV. conditam testatur Claritius (*pag. 137*).

Ipsam vero insulam a Plinio nuncupatam fuisse *Petram Herculis* proditum est a Pellegrinio (*Della Campan. felic. disc. II. pag. 320*). Inferioribus dein saeculis appellitari consuevit *Insula Ruviliane*, quo nomine eam nostra haec membrana donat, et *Insula Robilioni*, uti vocatur in binis Archiepiscoporum surrentinae ecclesiae diplomatis saeculo XII. conditis, quae attulit Thomas Milantes (*De Stab. Eccles. et Episcop. dissertat. V.*). In hac porro insula extractum antiquitus ac Deiparae dedicatum fuit monasterium, quod ad cisterciensem, sive florensem Ordinem prius, postea vero sub Michaelis Archangeli titulo ad casinensis coenobitas pertinuit, ut P. Remondinus testatur (*Istor. Ecclesiast. di Nola l. I. c. 58 pag. 346, et seqq.*). De pristina tum insulae, tum monasterii amplitudine, quae subinde evanuit, ita locutus est Milantes (*l. c.*): *Ampla nimis olim fuit laudata Insula Rubeliani, ut ex hac bulla innotescit, eratque ibidem extractum nobile Asceterium Ordinis S. Benedicti, cui tunc plures erant adiectae Obedientiae, Prioratus, sive etiam Granciae, sed temporum decursu nimis ea fuit a fluctibus maris attrita; solum ibi hodie est constructa Turris ad munimen, extaque intus eam Oratorium in honorem Archangeli Michaelis sacratum*. Verum anno 1334 monasterium illud adhuc extitisse patet, ut observatum fuit a Claritio (*pag. 193, not. (9)*), ex eiusdem anni Regesto, quod palam facit Abbatem ac

monachos, qui tunc temporibus ibi degebant, a Rege Roberto flagitasse, ut sui monasterii *animalia ex concessione catholicorum Regum et Principum a longis retro temporibus facta, libere et absque impedimento sumerent pascua in nemore Silve male* (qui nunc pagus *Bosco tre case* nuncupatur).

(5) Vocibus *Massa publica et Planities* in praesenti membrana denotatae videntur binae veteris surrentini agri partes, quae recentiori aevo totidem pagi evaserunt, et prior occidentem versus posita *Massa lubrense*, altera, quae orientem spectat, *Piano di Sorrento* vulgo hodie nuncupatur.

(6) Cum ex universa Langobardorum Liburia ea modo pars, qua salernitana ditio conflabatur, finitima surrentino Ducatui extaret, hinc certe pro salernitano agro accipiendum est *territorium Langobardorum*, quod praesens innuit membrana. Cum vero heic distincte memorentur surrentinus ac langobardicus ager, id profecto nobis in mentem revocat Surrentum per ea tempora, ad quae membrana ipsa pertinet, nequaquam salernitanis principibus paruisse. Novimus porro a Constantino Porphyrogenito (*De administrat. Imperii pag. 27*) proditum fuisse quod Surrentum perinde atque Neapolis et Amalphia graeco semper paruit Imperatori. Verum non $\alpha\mu\epsilon\sigma\omega\varsigma$ graecis Augustis, sed Ducibus neapolitanis, qui et ipsi constantinopolitano imperio parebant, Surrentinos diu fuisse obnoxios putandum est; siquidem Pellegrinius (*Hist. long. t. V. pag. 239*) diserte edicat Stabias, Surrentum, et Amalphiam sub neapolitani ducis regimine diu fuisse, idque e Pontificum Gregorii M. et Hadriani epistolis, atque ex initio Capitularis Sicardi Principis Beneventani eruat. Hinc iure optimo Iustinianus (*Dizionar. Geograf. v. Sorrento*) vehementer hallucinatum fuisse ait Anastasium, qui in suis lucubrationibus de ecclesiasticis ac civilibus Surrentinorum antiquitatibus Surrentum numquam neapolitanis Ducibus obtemperasse temere statuerat. Immo vero nobis videtur per ea tempora, quibus nostrum hoc conditum fuit instrumentum, surrentinam urbem haud suum habuisse Ducem; sed Duci Neapolitanorum fuisse subditam. Nam teste Leone Hostiensi (*Lib. I. cap. 59*) Ioannes, qui tunc temporis Neapoli imperabat, Adelperto Abbati casinensi non modo neapolitanam S. Caeciliae ecclesiam confirmavit, sed et surrentinam S. Severi *cellam cum omni pariter substantia et pertinentia ipsius* donavit, cuius quidem donationis faciendae potestas eundem Ducem vel Surrenti imperitasse ostendit. At quicquid de hoc sentire aliis libeat, illud quidem pro comperto habetur Langobardorum nempe Principes surrentino Ducatui non fuisse potitos nisi anno 1038, ut idem Hostiensis Leo testatur (*lib. II. pag. 65*), cum scilicet Salernitanorum Princeps Guaimarius Nortmannorum ope Surrentum cepit, et adscito sibi surrentini Ducis titulo urbem ipsam suo fratri Guidoni moderandam tradidit. Interempto dein a Salernitanis Guaimario, Surrentini ditione langobardica depulsa suis iterum Ducibus obtemperarunt; quapropter apud Capacium (*Hist. neap. t. I. pag. 144*) in anno 1071 mentio occurrit Sergii surrentini Ducis, qui simul cum altero Sergio Duce Neapolitanorum casinensis ecclesiae dedicationi interfuit.